



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scala Jacob

Lindeborn, Jan

Antverpiæ, 1666

§. 1. De Scala stante. Quo Virginitatis natales & incrementa proponuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)



SCALA JACOB.

CAPUT I.

De Scala ejusque circumstantiis.

Vidit in somnis (Jacob) Scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens coelum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum Scalæ: cumque evigilasset Jacob de somno ait: Verè Dominus est in loco isto & ego nesciebam, pavensque, quàm terribilis est locus iste, inquit, non est hîc aliud nisi domus Dei, & Porta Coeli.
Gen. 28. c.

§. I.

De Scala stante.



Uppositâ notione *Scalæ*, ejusdem Circumstantias consideranti, prima est, quæ occurrit quod stet: *Vidit Scalam stantem super terram & cacumen illius tan-*
gens

Gen. 28: 12.

A

gens

2 S C A L A J A C O B.

gens Cælum. Pro cuius intelligentia notandum, fabricatam quidem hanc Scalam mysticam in initio mundi, sunt enim Virgines creati protoparentes nostri: *Illi Virginitatis soboles*, inquit S. Johannes Damascenus, *ac non Matrimonii signum extiterunt.* *Eva in Paradiso Virgo fuit, post pelliceas tunicas initium sumpsit Nuptiarum: tua Regio Paradisus est, serua quod nata es*, clamat proinde D. Hieronymus. At in terram depositam tantisper, usquequò hæc, quæ vacua erat & inanis, habitatoribus compleretur, ideò dictum: *Crescite & multiplicamini & replete terram.* Silvam namque necesse priùs plantari & crescere ut postmodum inde ligna succidantur. At in hunc mundum veniens Dei Filius ex Virgine matre natus eam erexit super terram: adeoque ab ejus adventu, quæ antea quasi jacebat, *stetit & stat super terram*: ut, quemadmodum olim Conjugium, teste S. Gregorio Nazianzeno, institutum fuit ad terræ decorationem, sic amodò Virginitas ad cæli gloriam subsequatur. Neque erexit solùm, sed & ipsemet, qui, quæ placita sunt Patri suo cœlesti, protestatur se semper facere, eadem hac Scalâ ad eum rediit, suumque exemplum, quod jam verbis fecerat: *qui potest capere capiat*, imitandum proposuit: quem proinde Propheta dixit ædificare in cœlo ascensionem suam, quâ & ipse, & post eum animæ perfectionis cupidæ in cœleste domicilium ascenderent, eique præ aliis Beatis in æternum indivulsè adhærescerent: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, Virgines enim sunt, hæc sequun-*

L. 4. Or-
thod. Fid.
c. 25.

Epist. ad
Eustoch.
c. 13.

Gen. 1: 28.
& alibi.

Hieron. l. 1.
advers. Jo-
vin. c. 9.

Joan. 8: 29.

Matth. 19:
12.

Amos 9: 6.

Apoc. 14: 4.

sequuntur Agnum quocunque ierit, cantantque canticum reliquis incantabile.

Eam Apostoli propalarunt, sive, ut habet S. *Hom. 1. in Matth.* Chrysoftomus, *universum orbem Virginitatis plantatione complerunt: & eos inter D. Paulus, aliique Sancti* *1 Cor. 7.* Patres omnes ad unum usque pluribus rationibus ascendendam consuluerunt; & eo quidem effectu, ut, teste D. Augustino contra Faustum, hic ei Hæreticus objecerit propemodum plures esse in Ecclesia Virgines quàm Conjuges, plures consecrari Deo quàm copulari matrimonio. „ Posteaquam Dominus in corpus hoc contubernium Divinitatis & corporis sine ulla concretæ confusionis labe sociavit, tunc toto orbe diffusus corporibus humanis vitæ cœlestis usus inolevit: habemus ergò plenitudinem professionis à Christo notat D. Ambrosius: qui & pro se contra hujus professionis æmulos coactus est Apologiam scribere: *L. 1. de Virg.*

„ Meipsum, inquit, defensatum venio: criminis *L. 3. de Virg.* autem invidia hæc est; quia suadeo castitatem. „ Qui hoc non libenter accipit, ipse se prodit. Virginitatem, inquit, doces & persuades plurimis. „ Utinam convincerer! Utinam tanti criminis probaretur effectus! non vererer invidiam, si efficaciam recognoscerem. Atque utinam me exemplis potiùs argueretis, quàm sermonibus cæderetis! Sed vereor ne prævaricatores mihi opposuisse videar, qui me alienis commendent laudibus. Initiatas, inquit, sacris mysteriis & consecratas integritati puellas nubere prohibes. Utinam potuissem revocare nupturas! Utinam possem

„ sem flammeum nuptiale pio integritatis velamine
 „ mutare! An indignum videtur ut sacratæ Virgi-
 „ nes à sacrosanctis Altaribus non abducantur ad
 „ nuptias? & quibus licet Sponsum eligere, non
 „ licet Deum præferre? In me ergo facti conditio
 „ mutatur, ut pro opprobrio mihi cedat quod
 „ semper spectavit ad gratiam Sacerdotum jacere
 „ femina integritatis & Virginitatis studia provo-
 „ care? Quæro enim utrum quasi improbum
 „ hoc, an quasi novum, an quasi inutile repre-
 „ hendatur? Si quasi improbum, improba ergo
 „ vota sunt omnium, improba vita est Angelorum,
Matth. 22: „ quam gratia resurrectionis imitatur: qui enim
30. „ non nubunt neque nubentur, erunt sicut Ange-
 „ li in cœlo: qui hoc utique reprehendit, resurre-
 „ ctionis vota condemnat. Itaque improbum vi-
 „ deri non potest quod hominibus pro præmio
 „ constitutum est: nec potest ejus rei species displicere,
 „ cujus veritas & in fructu est & in voto. Sed
 „ esto non sit improbum, numquid novum est?
 „ Nos enim nova omnia quæ Christus non docuit
 „ jure damnamus, quia Fidelibus Via Christus est.
 „ Si igitur Christus non docuit quod docemus,
 „ etiam nos id detestabile judicamus. Discutiamus
 „ ergo utrum Christus integritatem docuerit, an
Matth. 19: „ repudiandam putaverit. Et sunt, inquit, Spado-
12. „ nes, qui seipfos castraverunt propter Regnum
 „ cœlorum. Est ergo præclara militia quæ Regno
 „ cœlorum militat. Itaque jam tunc Dominus do-
 „ cuit esse debere intemerata studia castitatis, &c.
 „ nec improbum igitur nec novum integritatis est
 „ stu-

„studium. Videamus ne fortè inutile judicetur.
 „Nonnullos enim dixisse audivi quod periit mun-
 „dus, defecit genus hominum, Conjugia labefa-
 „ctata sunt. Quæro quis tandem quæsit uxore
 „rem qui non invenerit? Quando fuerint bella
 „pro Virgine? Quis unquam pro Virgine sit per-
 „emptus? de Conjugiis autem ista nascuntur, ut
 „perimatur adulter uxoris, raptor præliis appeta-
 „tur: ista Reip. semper damno fuerunt. Pro Vir-
 „gine sacra nemo damnatus est, quia castitatem
 „non pœna cohibet, sed religio auget, fidesque
 „conservat. Si quis igitur putat consecratione Vir-
 „ginum minui genus humanum consideret, quia,
 „ubi paucæ Virgines, ibi etiam pauciores homines:
 „ubi Virginitatis studia crebriora ibi numerum
 „quoque hominum esse majorem. Discite quan-
 „tas Alexandrina totiusque Orientis & Africana
 „Ecclesia quotannis sacrare consueverint: paucio-
 „res hîc homines prodeunt quàm illic Virgines
 „consecrantur. Ex ipsius igitur orbis terrarum usu
 „non inutilis Virginitas existimatur, præsertim
 „cùm per Virginem salus venerit orbem fœcunda-
 „tura Romanum. Quod si quis hoc prohibet, pro-
 „hibeat igitur pudicas uxores degere, quia frequen-
 „tius possunt parere incontinentes. Nulla pere-
 „grinanti marito fidem servet ne damnum faciat
 „prolis futuræ & partus frequentioris amittat æta-
 „tem. Sed difficilior fit via adolescentibus ad nu-
 „ptias impetrandas: quid si fortè commodior?
 „quæro enim cum his aliquem habere tractatum,
 „qui arcendæ Virginitatis sententiam gerunt. Itaq;

1 Cor. 7.

„ qui sunt isti discutere debemus, utrum qui uxo-
 „ res habent an qui non habent. Si qui habent, ti-
 „ mere non debent, uxores eorum jam Virgines
 „ esse non possunt. Si qui non habent, non sibi in-
 „ juriam faciant, quòd ejus tantùm nuptias sperave-
 „ rint, quæ nuptura non esset. An fortasse patres
 „ pro filiarum conjunctione solliciti molestè fe-
 „ runt Virgines consecrari? nec hi, quod verean-
 „ tur, habent, si sequantur consilium: inter paucas
 „ suæ citius eligentur. Ajunt etiam plerique matu-
 „ rioris ætatis Virgines esse velandas: neque ego
 „ abnuo Sacerdotalis esse cautionis debere, ut non
 „ temerè puella veletur. Spectet planè, spectet æ-
 „ tatem Sacerdos, sed fidei vel pudoris. Spectet
 „ & maturitatem verecundiæ, examinet gravitatis
 „ canitiem, morum senectam, pudicitiaë annos, ani-
 „ mos castitatis: tamen deinde si matris tuta custo-
 „ dia, comitum sobria sedulitas, si hæc præstò sunt,
 „ non deest Virgini longæva canities: si hæc de-
 „ sunt, differatur puella moribus potiùs quàm an-
 „ nis: non ergo ætas rejicitur florentior, sed ani-
 „ mus examinatur. At certè Theclam non fe-
 „ nectus sed virtus probavit. Et hinc quid plura
 „ contexam, cùm omnis ætas habilis Deo, perfecta
 „ sit Christo? Denique non virtutem ætatis ap-
 „ pendicem dicimus sed virtutis ætatem. Quod
 „ ibidem Sanctus Antistes pluribus prosequitur.

Venit autem ad vos ô Virgines sermo noster,
 ad vos inquam, quæ per mysticam hanc Scalam
 ascendendo Salvatoris vestri exemplum vos præ-
 euntis & tot millium Præcedanearum subsequimini:

ni:

ni: vos inquam eâ gratiâ dignatæ quam illa suspirabat in Canticis: *Trabe me, post te curremus in odorem* e. i. vers. 3: *unguentorum tuorum*. Quarum quælibet securè potest Christo dicere sibique ab eodem polliceri: *No-* ^{Psal. 15:} ^{11.} *tas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo*. Tantùm, quo S. Cyprianus Tractatum suum *de Disciplina & Habitu Virginum* concludit, *Durate fortiter, spiritualiter pergite, pervenite feliciter*.

§. II.

De Scala stante super terram.

E Adem quæ ante annos circiter quadraginta haud ita pridem resuscitata est Quæstio, sitne Vita Virginum Deo cum proposito continentiæ famulantium in seculo licita & verè Status: negarunt olim & etiamnum negant aliqui, quorum solenne: *Aut Maritus aut Murus: aut in Conjugio aut in Cœnobio*. Alii è contra asseruerunt & asserunt hodie dum oppositis eruditissimis Apologiis, quos inter Leo Hubertinus, Valentinus Biscopius & Hermannus Busenbaum cujus Libello titulus *Lilium inter Spinas*: Ea controversia hîc nunc enodanda, & quia bimebris, duplici responsione dissolvenda, quæ erit ulterior *Scalæ stantis & stantis super terram* consideratio.

Ad PRIOREM ejus PARTEM respondeo non modò Rationi reluctari hujus Vitæ Æmullos, sed & Scripturæ ac Patribus, quos ab eis nun-